



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Iob Liber Trigesimus
Secundus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

S ANCTI GREGORII
MORALIS EXPOSITIONIS
IN BEATVM IOB
LIBER TRIGESIMVS SECVNDVS

Quod sancti ea qua cum minori sollicitudine attendunt quando cogitant, vel agunt, & quasi leuia negligunt, cum fuerint compuncti devotius, quasi gravia illa & mortifera perhorrescunt.

CAPUT PRIMUM.

SANCTI viri quod apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eò subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat inveniunt; & tantò magis foris sibi deformes apparent, quantò minùs pulchrum est, quod intus vident. Unusquisque enim sibi dum tactu veri luminis illustratur, ostenditur: & unde agnoscat quid est iustitia, inde eraditur, ut videat quid est culpa. Hinc est quodd sapiens mens nostra quamvis frigida in conversationis humanae actione torpescat, quamvis in quibusdam delinquat & nesciat, quamvis peccata quaedam quasi nulla perpendat: cum tamen ad appetenda sublimia orationis compunctione se erigit, ipso suae compunctionis oculo excitata ad circumspiciendam se post sterum vigilantior redit. Nam cum neglectam se deserit, & noxio tempore torpescit, vel otiosa verba, vel inutilis cogitationes minoris esse reatus omnimodo credit. At si signe compunctionis incallescens, à torpore suo, tacta subito afflatu contemplationis, evigilet, illa quae levia paulò antè credidit, mox ut gravia ac mortifera perhorrescit. Cuncta enim vel in minimis noxia, quasi atrocissima refugit: quia videlicet per conceptionem spiritus grava, introire ad se jam inania nulla permittit. Ex eo enim quod intus conspiciat, quam sint horrenda haec quae exteriùs perstreperunt, sentit: & quantò amplius sublevata profecerit, tantò magis refugit infima, in quibus prostrata defecit. Nihil quippe eam nisi id quod interiorius viderat, pascit; atque eò gravius tolerat quidquid se ei extrinsecus ingerit, quò illud non est quod intrinsecus vidit, sed ex his interioribus quae raptim videre potuit, ad exteriora quae tolerat, iudicandi regulam sumit. Super se enim rapitur dum sublimia contempletur: & semetipsam jam liberius excedendo conspiciens, quidquid ei ex seipsa sub seipsa remanet, subtilius comprehendit. Ex qua re miro modo agitur, ut sicut superius dictum est, unde dignior efficitur, inde sibimet indigna videatur: & tunc rectitudini se longè esse sentiat, cum appropinquat. Unde Salomon ait: *Cuncta removi in sapientia, & dixi. Sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me.* Quæ sita enim sapientia longè recedere dicitur, quia appropinquanti altior videtur. Qui verò hanc nequaquam quærun, tantò se ei propinquos astimant, quantò & ejus rectitudinis regulam ignorant: quia sicut in tenebris, mirari lucis claritatem nesciunt, quam numquam viderunt: cunctique in forma ejus pulchritudinis non tenduntur, in semetipsis libenter quotidie deformiores fiunt. Nam quisquis ejus radiis tangitur, sua illi manifestius tortitudo monstratur: & eò verius invenit quantum deflectatur in vitio, quò sagacius summa considerans,

A conspiciat quantum distat à recto. Unde beatus Job humanum genus virtutibus transiens, amicos loquendo superavit, sed loquente Deo, sublimius eruditus semetipsum cognoscendo reticuit. Illos namque injustè loquentes subdidit, sed ad verba locutionis intimæ reum se justè cognovit. Et quidem cur flagellatus sit nescit, sed tamen cur flagella veneratus non sit, silendo redarguit. Divina enim judicia cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda: quia & cum causas rerum conditor in flagello non aperit, eò justas indicat, quò se eas facere, qui summe justus est, demonstrat. Vir ergo sanctus & priùs de locutione, & post de silentio reprehensus, quid de semetipso sentiat innoteat. Ait enim.

Quod de verbo otioso nec sancti possunt excusari, licet manu operis in conspectu Dei studeant operire.

CAPUT II.

Qui levis locutus sum, respondere quid possum? Ac si dicat: Sermonem meum defenderem, si hunc cum rationis pondere protulissim. At postquam lingua levitate usa convincitur, quid restat nisi ut conticendo refrænetur? Sequitur: [*Manum meam ponam super os meum.*] Usu sacri eloquij in manu operatio, in ore locutio solet intelligi. Manu ergo super os ponere, est virtute boni operis culpas tegere incaute locutionis. Quis verò inveniri potest, qui quamlibet perfectus sit, de otioso tamen sermone non peccet? Jacobo attestante, qui ait: *Nolite plures magistri fieri, in multis enim offendimus omnes.* Et rursum: *Linguam nullus hominum domare potest.* Cujus culpas redarguens per semetipsam Veritas, dicit: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicij.* Sed sancti viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritis vitæ, student bonorum operum pondere premere immoderata verborum. Unde in sancta Ecclesia manus super os ponitur, dum in electis ejus quotidie otiosa locutionis vitium bonæ actionis virtute operitur. Scriptum namque est: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum repta sunt peccata.* Sed rursum cum scriptum sit: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus;* quomodo tegi possunt, a quæ ejus oculis, cui cuncta nuda sunt, abscondi nequaquam possunt? Sed quia hoc quod tegimus, inferius ponimus, atque hoc inde tegimus, nimirum superducimus, ut quod est subterpositum tegamus, tegere peccata dicitur, quæ quasi subterponimus dum abdicamus, eisque aliud superducimus, dum bonæ actionis opus ad hoc potest eligimus ut præferamus. Qui ergo priora mala deserit, & bona posterius facit, per hoc quod addit, transactam nequitiam regit, cui boni operis merita superducit. Beatus igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenens, & in verbis suis sua allegans, nostra designans, dicat ex se, dicat ex nobis: [*Manum meam ponam super os meum;*] id est, hoc quod distincto iudici de

sermone meo in me displicuisse considero, ante ejus oculos sub velamine recti operis abscondo. Sequitur.

Quod Iob correctus non defendit, sed humiliter confitetur se peccasse in eo quod se credidit iustum, & frustra percussum; & innocentia propria conscientia contentus, districtiōnem superni examinis attendit.

CAPUT III.

VNum locutus sum, quod utinam non dixissem: & alterum, quibus ultra non addam.] Si transacta beati Job verba discutimus, nihil cum nequiter dixisse reperimus. Si verò dicta ejus, quæ cum veritate ac libertate prolata sunt, in aliquo superbiae vitio flectimus, duo jam solummodo non erunt: quia multa sunt. Sed quia loqui nostrum, est hominibus occultum sensum verbis aperire: loqui verò nostrum ad divinas aures, est motum mentis etiam expressione actionis ostendere: beatus Job ad libram se subtilissimi examinis pensans, locutione sua secundo se deliquisse confitetur. Unum enim loqui, est res flagello dignas agere: aliud loqui illicitè, est etiam de flagello murmurare. Qui ergo ante increpationem Dominicam in omni opere hominibus prælatus fuit, ipsa in altum increpatione proficiens, & minus se rectum prius in opere, & minus se patientem post in verberare agnovit. Unde semetipsum redarguit, dicens: [*Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem: & alterum, quibus ultra non addam.*] Ac si dicat: Rectum me quidem inter homines credidi, sed te loquente, & ante flagella prævum, & post flagella me rigidum inveni. [*Quibus ultra non addam;*] quia jam quanto nunc te loquentem subtilius intelligo, tanto meipsum humiliter investigo.

Quid sit quod per Moysen agnam, vel capram jubeatur offerre, qui bene vel male se facturum juramento protulerit, & hoc ipsum oblivione transcendit.

CAPUT IV.

ET quia beatus Job sanctæ Ecclesiæ typum tenet, possunt electis omnibus hæc ejus verba congruere, qui cognoscentes Dominum, in uno & alio deliquisse se sentiunt: quia se intelligunt vel in cogitatione & opere, vel in Dei ac proximi neglecta dilectione peccasse. Quibus se promittunt ultra nil addere: quia per conversionis gratiam curant penitendo quotidie etiam transacta purgare. Per hoc tamen quod beatus Job de duobus se penitendo re-

Adarguit, liquidò ostendit, quod peccator omnis in penitentia duplicem habere gemitum debet, nimirum quia & bonum quod oportuit, non fecit: & malum quod non oportuit, fecit. Hinc est enim quod per Moysen de eo qui juramentum protulit, ut vel malè quid vel bene faceret, & hoc ipsum oblivione transcendit, dicitur: *Offerat agnam de gregibus sive capram, orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* Juramentum namque proferre, est voto nos divinæ servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum verò abstinentiam cruciatumque carnis nostræ vovemus, malè ad præsens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantumcumque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus sive capra præcipitur. Quid enim per agnam, nisi activæ vitæ innocentia: quid per capram, quæ in summis sæpe extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplativa vita signatur? Qui ergo se conspiciat promissa ac proposita non implens, ad sacrificium Dei sese studiosus debet vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra verò offerri de gregibus non jubetur: quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. Et cum hæc agimus quæ multos agere & egisse conspicimus, quasi agnam de gregibus damus. Sed cum offerentis virtus ad agnam capramque non sufficit, in remedio penitentis adjungitur, ut duo pulli columbarum, vel duo turtures offerantur. Scimus, quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos, vel duos turtures, nisi duplex penitentia nostræ gemitus designatur? ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter dedecemus: quia & recta non fecimus, & prava operati sumus. Unde & unas turtur pro peccato, alter verò offerri in holocaustum jubetur. Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus: de altero verò holocaustum facimus, cum pro eo quod bona negleximus, nosmetipsos funditus succedentes, igne doloris ardemus. Quia igitur duplex in penitentia gemitus debetur, beatus Job divina vocis increpatione proficiens, atque in sua reprehensione succrescens, dixisse se unum & alterum penitens fatetur, ac si aperte dicat: Et erga bona per negligentiam torpui, & ad mala per audaciam prorupi:

CAP. XL. **R**espondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi. Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, ut tu iustificeris? Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas: circumdabis tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo: & respiciens omnem arrogantem humilias. Respice cunctos superbos, & demerge in foveam: et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, et virtus illius in umbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testicularum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistula eris, cartilago illius quasi lamina ferrea. Ipse est principium viarum Dei: qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt. Omnes bestie umbram eius, circumdabunt eum salices torrentis. Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod insuat Iordanis in os eius. In oculis eius quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares eius. An extrahere poteris Leviathan hamo, et furem ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? Numquid illudes ei quasi avi, aut li-

gabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, dividunt illum negotiatores. Numquid implebis sagenas pelle eius, et gurgustium piscium capite illius? Pones super eum manum tuam? Memento belli, nec ultra addas loqui. Ecce, spes eius frustrabitur eum, et videntibus cunctis precipitabitur.

Quod qui in flagellis positus murmurat, justitiam ferientis accusat.

CAPUT V.

Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi. Quid sit Dominum de turbine respondere, quid beatum Job lumbos accingere, quid interrogare Dei, quid hominis indicare, primo jam Domini sermone tractatum est. Quia ergo lectoris tadio parcimus, curamus summopere ne dicta replicemus. Sequitur: [Numquid irrium facies iudicium meum, & condemnabis me, ut in iustificeris?] Quisquis contra Domini flagella semetipsum defendere nititur, flagellantis iudicium evacuare conatur. Nam quum culpa sua ferri se denegat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Beatum itaque Job non ideo flagella caelestia percusserunt, ut in eo culpas extinguerent, sed potius ut merita auerent, quatenus qui tranquillitatis tempore in tanta sanctitate claruerat, & ex percussione patefceret quae in eo etiam patientiae virtus latebat. Qui quidem culpam suam inter flagella non inveniens, nec tamen flagella eadem causam sibi esse augendi meriti deprehendens, injuste se ferri credidit, cum quid in se debuisset corrigi non invenit. Sed ne ipsa innocentia in tumorem elationis infletur, divina voce corripitur, & mens ejus ab iniquitate libera, sed verberibus pressa, ad iudicia occulta revocatur: ut superna sententia etsi non est cognita, non tamen credatur injusta; sed ed saltem iustum credat omne quod patitur, quod nimirum constat, quia Deo auctore patiatur. Magna enim satisfactio percussione est, voluntas iusta conditoris. Quae cum injustum facere nihil solet, iusta agnoscitur etiam si later. Nam cum pro iniustitia peccato percucimur, si in percussione nostra divina voluntati jungimur, mox a nostra iniustitia ipsa conjunctione liberamur. Quisquis enim iam percussione tolerat, sed adhuc causas percussione ignorat, si iustum credens hoc ipsum contra se iudicium amplectitur, eo ipso ab iniustitia sua correctus est, quod percussum se iuste gratulatur. In vindicta enim sua Deo se socians, sese contra se erigit, & magna est iam iustitia, quod voluntati iudicis concordat in poena, cui discrepavit in culpa. Vir igitur sanctus, quia in nulla Deo culpa discrepaverat, quasi cum difficultate ei inter supplicia concordabat. Neque enim credidit, quod flagella quae solent vitia extinguere, in illo sola merita auerent. Unde nunc iuste corripitur, ut occultis iudiciis & nesciens subderetur, eique dicitur: [Numquid irrium facies iudicium meum, & condemnabis me ut in iustificeris?] Ac si aperte diceretur: Tua quidem bene acta consideras, sed mea occulta iudicia ignoras. Si ergo ex tuis meritis contra mea flagella disputas, quid aliud quam me de iniustitia addicere te justificando festinas? Sequitur.

Quod ex considerata magnitudine & iustitia creatoris, cuiusque meriti sint homines, infirmos se cognoscant & peccatores: & quod Anthropomorphitarum haeresis sit, Deum asstimare in sua natura secundum membra humana, & lineamenta corpora.

CAPUT VI.

Si habes brachium sicut Deus, & si voce similis tonas. Quia humanum genus beatus Job meritis

A transcendebat, enim pius conditor & eruditor ad considerandam similitudinem suae magnitudinis provocat, ut cognita tanta dissimilitudine, in humilitate se premat. Sed cum in Deo vox & brachium dicitur, cavendum summopere est, ne quid in eo mens corporeum suspiciatur. In Anthropomorphitarum namque haeresim cadere, est eum qui incircumscripte implet & circumplectitur omnia, intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, usque ad nostra se humiliat, atque ut alta insinuet, humilibus condescendit: quatenus parvulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exurgat incognita, atque ab eo qui longe super ipsum est, quaedam juxta se audiens, quasi quibusdam ad illum passibus moveatur. Unde fit, ut per scripturam suam aliquando a corporibus hominum, aliquando a mentibus, aliquando vero ab avibus, aliquando etiam ab insensatis rebus quaedam longe dissimiles in se similitudines trahat. Plerumque enim a corporibus hominum in se similitudinem trahit, sicut de eo Propheta ad Israelitas dicit: Qui tetigit vos, tangeret pupillam oculi ejus. Et sicut de eo rursus speranti homini per Prophetam dicitur: In scapulis suis obumbrabit tibi. Constat nimirum, quod in natura sua nec oculus Deus, nec scapulas habeat: sed quia nos per oculos cernimus, in scapulis vero onera sustinemus. Deus quod omnia videt, oculum habere perhibetur; quod vero nos tolerat, atque eo ipso quo tolerat, servat, obumbrare nobis in scapulis dicitur. Ait enim: In scapulis suis obumbrabit tibi. Ac si diceret peccatori homini, & post peccatum veniam deprecanti: Ea pietate Dominus te protegit, qua te pietate toleravit. Obumbrat enim in scapulis suis: quia dum portat, defendit. Aliquando vero a mentibus in se similitudinem trahit, sicut per Prophetam ad Israel dicit: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Et rursus per sponsae comparationem loquens ait: Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Quis enim nesciat, quia Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione farditur? Sed dum aliqua deserens praetermittit, more mentium oblivisci dicitur; & cum post longum tempus quae voluerit visitat, nostrae mutabilitatis consuetudine recordatus vocatur. Quo enim pacto divinitatis ejus vim oblivio dissipat, cui ipsa quoque laudabilis memoria essentialiter concordat? Nulla namque nisi aut praeterita, aut absentia recordantur. Quomodo ergo Deus praeteritorum reminiscitur, cum ipsa quae in semetipsis praeteriunt, ejus nutui semper praesentia assistunt? Aut quomodo absentium recordatur, dum omne quod est, per hoc illi praesto est, quod in ipso est? Quod si ei praesto non esset, omnino non esset: nam non existentia videndo creat, existentia videndo continet. Quid ergo creator non videt, essentia subsistendi caret. Aliquando autem ab avibus in illum similitudo trahitur: sicut per Moysen dicitur: Expandit alas suas, & assumpsit eos. Et Propheta ait: Sub umbra plaurum tuarum protege me. Quia enim nos parvulos dum protegit nutrit, & non gravi atque onerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more avium super nos alas tendit. Aliquando etiam insensatis rebus propter infirmitatem nostram alta condescensione se comparat, sicut per Prophetam dicit: Ecce ego stridit debet super vos sicut stridet plaustrum onisum feno. Quia enim fenum est vita carnalium, sicut scriptum est: Omnis caro fenum; in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustrum fenum se

sup. lib. 20. c. 2. & seq.

Zach. 2.

Pf. 90. 2.

Hier. 2.

Esai. 49.

Deut. 32.

Isai. 16.

Amos. 4.

Esai. 40. b.

portare testatur. Cui sub fœni onere stridere, est pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare. Cùm ergo longè dissimiles in se similitudines trahat, solerter intuendum est quòd quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam ejus substantiam majestatis. Nam cùm in Deo oculus, scapula, & atque alia nominantur, effectus quidem operationis ostenditur. Cùm verò manus, brachium, dextera vel vox in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe est & manus & dextera, de cujus ascensione per Moysen Pater loquitur, dicens: *Tollam in celum manum meam, & jurabo per dexteram meam.* Ipse brachium, de quo Propheta ait: *Et brachium Domini cui revelatum est?* Ipse vox: quia cum Pater gignendo dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et de quo scriptum est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Per hoc Verbum fecisse Patrem omnia, David asserit, dicens: *Dixit, & facta sunt.* Deum ergo brachium habere, est operantem filium gignere: voce tonare, est consubstantialem sibi filium mundo terribiliter demonstrare. Beato igitur Job cùm dicit Dominus: *[Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas;]* mira dispensatione pieratis eum dum increpat, exaltat: quia eum, quem sua comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat. Cui in hac propositione subjungit.

Quòd sancti in conspectu Dei gloria & honore, & speciosis virtutum vestibus induantur: superbos vero extreme confusiois nuditas maneat.

CAPUT VII.

Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosus induere vestibus] Subaudis, ut ego. Ipse enim sibi circumdat decorem, de quo scriptum est: *Dominus regnavit, decorem induit.* Ipse apud nos in sublime erigitur, quum nostris mentibus in natura sua esse impenetrabilis demonstratur. Ipse verò gloriosus est, qui dum seipso perficitur, accendens laudis indigens non est. Ipse speciosus induit vestibus: quia sanctorum Angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumpsit, & velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet non habentem rugam, aut maculam. Unde ei per Prophetam dicitur: *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Hic quippe confessionem induit, illic decorem: quia quos hinc per penitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiæ ostendit. Luce ergo sicut vestimento amictus est; quia sanctis omnibus, quibus dictum est, *Vos estis lux mundi,* in illa æterna gloria vestietur. Unde & per Evangelium dicitur, quia transfigurato in monte Domino, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix. In qua transfiguratione quid aliud, quàm resurrectionis ultimæ gloria nunciatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt; quia in supernæ claritatis culmine sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt. Sed quia speciosarum vestium nomine justos sibi quomodo adjungat, insinuat: injustos etiam quomodo à se disjungat, ostendit. Sequitur: *[Disperge superbos in furore tuo.]* Subaudis, ut ego, qui eos & tranquillitatis tempore unitos contra me tolero, & districtus quandoque veniens, in meo eos furore dispergo. Sed inter hæc solerter intuendum est, quòd gravis perfidia error admittitur, si fortasse quis æstimet, quòd in illa divinitatis substantia, furor & tranquillitas varietur. Creator namque omnium eò summè immortalis est, quòd creaturæ more mutabilis non est. Hinc de illo per Jacobum dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudo*

A *obumbratio.* Hinc rursus scriptum est: *Tu autem Domine cum tranquillitate judicas.* Hinc Propheta ait: *Deserta facta est terra à facie ire columba, à facie furoris Domini.* Quod iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subjungit. Columba namque valde simplex est animal; & quia in Deum nulla furoris inæqualitas serpit, furorem Domini iram columbæ nominavit. Ut enim divina districtio vim imperturbabilem demonstraret, & iram dixit, & columbæ: ac si apertius diceret: Districtum judicium inconcussus exercit, qui permanens mansuetus injustos punit. Unde & in extremo judicio in semetipso incommutabilis manens, nulla vicissitudine ac mutabilitate variatur, sed tamen electis ac reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur: quia & tranquillus justis, & iratus apparebit injustis. Teste enim conscientia intra semetipsum deserunt, unde eorum mentes æquè unum respiciant, sed non æqualiter modificentur: quia & istis eum benignum ostendit antea facta justitia, & illis terribilem culpa. Quorum pavorem quis explicet, cùm contigerit miseris & intra se culpas cernere, & ante se judicem justum videre? Hoc nimirum quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut de qualitate venturi judicis mortalium corda doceantur. Nam cùm duo ad judicium pergunt, alius innocentia sibi conscius, alius culpæ: ante prolatam sententiam adhuc tacentem judicem utrique conspiciunt, & tamen culpæ debitor gravem contra se iram hoc ipsum judicis silentium suspiciunt. Quam iram sibi non denunciant perturbatio judicis, sed recordatio pravitatis: quia etsi adhuc foris reum sententia non clamat, intus tamen graviter conscientia accusat. At contra justitia amicus decernentis vultum conspiciet, sed intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit, & quòd apud se quod metuat non habet, omne quod erga semetipsum est, blandum videt. Hoc itaque loco furor Domini dicitur non perturbatio divina substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscius examinatio justæ vindictæ. Quamvis enim cum tranquillum in judicio videant, tamen quia ferendos se ab illo non dubitant, eum suis moribus perturbatum putant. Sequitur: *[Et respiciens eunem arrogantem humiliat.]* Ac si dicat, ut ego. Aptè autem ad vindictæ ordinem arrogantibus superbiorum culpa præponitur: quia nimirum non superbia de arrogantia, sed generatur arrogantia de superbia. Duobus autem modis à Domino peccator unumquique respicitur, cùm aut à peccato convertitur, aut ex peccato punitur. De respectu enim conversionis dicitur: *Quia respexit Dominus Petrum, & recordatus Petrus verbi Jesu flevit amare.* De respectu ultionis rursus dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Utrisque autem modis in humilitate arrogans sternitur: quia aut penitendo cognoscit culpam, aut pereundo percipit pœnam. Sequitur: *[Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.]* Subaudis, ut ego. Superbi enim ex respectu Domini confunduntur, aut hinc de pietate cognoscentes & damnantes crimina, aut illic supplicia de justitia sentientes. Impiorum verò locus ipsa superbia est; quia cùm scriptum sit: *Innitium omnis peccati superbia;* unde oritur impietas, ibi continetur; quamvis nec quidquam à superbia distat impietas. Valde enim superbire, est impia de auctore sentire. Impius ergo in loco suo conteritur; quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur: cumque effrendo se incogitationibus erigit, lumen sibi justitiæ, quod invenire debuisset, abscondit. Sape autem dum contra Deum falsa gloria exterius proficit, vera miseria interiori inanescit. Unde Propheta ait: *Dejecisti eos dum alleverantur.* Non enim ait: *Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed dum alleverantur:* quia hoc ipsum

ipsum sit superbis interius de jecti, quod eis falsa con- A
tingit gloria exterius elevari. Ordinate enim divi-
no iudicio, non eis hic aliud culpa est, atque aliud
pœna: sed sua illis in pœnam vertitur culpa, ut elat-
tis fastu superbiae, hoc ipsum sit verè intus cadere,
quod foris ostenditur profecisse. Sequitur: [*Abf-
conde eos in pulvere, simul & facies eorum demerge
in foveam.*] Ac si dicat, ut ego Superbos enim
atque impios iusto iudicio Dominus in pulvere abf-
condit; quia eorum corda ipsis, quæ despecto amo-
re creatoris eligunt, terrenis opprimi negotiis per-
mittit. Unde & illorum vitam cum in extremo iu-
dicio discutit, tamquam sibi absconditam non
Luc. 23. e agnoscat, dicens: *Nescio qui estis.* Vita pravorum
sub pulvere absconditur; quia abjectis & infimis de-
sideriis gravatur. Quisquis enim adhuc ea quæ B
mundi sunt appetit, quasi ante faciem veri luminis
non apparet; quia nimirum sub pulvere terrenæ
cogitationis latet. Hunc pravorum cogitationum
pulverem oppressa mens tolerat, quem ventus ne-
quissima tentationis apportat. Hinc est enim quod
8. de unaquaque anima terrenis desiderii aggravata
osec 7. b est Ephraim specie per Prophetam dicitur: *Factus
est Ephraim panis subcinericius, qui non revertatur.*
Ex natura quippe bene condita est nobis intentio,
quæ fergat in Deum; sed ex conversatione nequiter
assueta inest voluptas, quæ præfens premat in sæcu-
lum. Panis autem subcinericius ex ea parte est munda-
tor, quam inferius occultat, atque ex ea parte
foetidior, qua desuper cinerem portat. Quisquis
ergo intentionem qua Deum debuisset quærere, ne-
gligit, quasi more panis subcinericius mundiorem C
partem inferius premit, & cum curas sæculi liben-
ter tolerat, quasi congestum cinerem superius por-
tat. Revertaretur autem panis subcinericius, si de-
sideriorum carnalium cinerem repelleret, & inten-
tionem bonam, quam in se dudum despiciendo
oppresserat, superius ostentaret. Sed revertari re-
nuat, cum mens amore curarum sæcularium pressa,
molem superpositi cineris abjicere negligit: dumque
assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi
mundiorem faciem subter premit. Apertè autem sub-
jungitur: [*Simul & facies eorum demerge in fo-
veam.*] Ac si dicat, ut ego. Iusto namque iudicio
superborum facies Dominus in foveam mergit;
quia intentionem cordis eorum sese ultra homines
erigentem inferius deiecit. Ima enim respicit, cujus
facies foveam attendit. Et bene de superbis dicitur,
quod eorum facies in foveam demerguntur;
quia ima petunt, dum superbiendo altiora appe-
tunt: & quod magis extollendo se erigunt, eò magis
ruendo inferius tendunt. Terrenam quippe glo-
riam quærunt, & in sima sunt quæ prospiciunt, dum
superbiendo alta sequuntur. Unde miro & diverso
modo res agit, ut humiles cælum petant, dum
se inferius deiciunt: superbi infima appetant, dum
despiciendo ceteros quasi in altioribus extolluntur.
Isti se, dum despiciunt, cælestibus junguntur: illi
dum se erigunt, à superioribus dividuntur: atque,
ut ita dixerim, illi se elevantes deprimunt, isti de-
primentes elevant. Et bene de superbientibus per
7f. 1. 6. Psalmitam dicitur: *Humiliat autem peccatores us-
que ad terram:* quia ea quæ infra sunt, ambientes,
dum extollendo se erigunt, amisso cælo quid aliud
quàm terram petunt? Quibus hoc ipsum jam in
imis cecidisse, est relictis superioribus ima quæsisse.
Rectè ergo eorum facies in foveam demergi perhi-
bentur; quia sequentes infima, ad inferni bara-
thrum tendunt. Iusto enim iudicio agit, ut quos
hic voluntaria aversio exæcat, illic ab intuitu veri
luminis digna supplicij fovea abscondat. Igitur quia
vir sanctus tanto divina potentia terrore discussus
S. Greg. Tom. I.

est, ut ei diceretur: [*Si habes brachium ut Deus,
& si voce simili tonas: disperse superbos in furore
tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia;*] &
cetera quæ Deus quidem facere, sed homo vix
sufficit audire, cuncta hæc qua Dominus intentio-
ne præmiserit, sine subdita conclusionis ostendit,
dicens.

*Pelagianorum hæresis præfenti capite destruitur, qui
sine adiutorio gratia, propria virtute quemquam
posse salvari affirmant.*

CAPUT VIII.

ET ego confitebor quod salvare te possit dextera
tua. Ac si apertè diceret: Si potes terribilia
hæc facere, ipse quæ protuli, tibi & non mihi de-
puro bona omnia quæ fecisti. Si verò peccantes alios
respiciendo non potes perdere, liquet quod à reatu
nequitia tua te non vales virtute liberare. Ecce di-
vina voce ad beatum Job dicitur quod sua dex-
terâ non salvetur: & tamen nonnulli hominum,
qui ab huius viri viribus longè sunt, despecto
Dei adiutorio, sua se fortitudine salvari posse
confidunt. Pro quibus quid deprecari aliud de-
bemus, nisi ut si jam dona bonorum operum
perceperunt, hoc quoque donum accipiant, ut à
quo hæc acceperint discant? Quia autem præ-
missis verbis Dominus potentiam suæ magnitu-
dinis intulit: nunc in subsequentibus nequitiam
antiqui hostis ostendit: ut bonus famulus & au-
ditis prius virtutibus Domini, seiret quantum
diligere, & cognita post calliditate diaboli, disce-
ret quantum timeret. Unde bene per Prophe-
tam dicitur: *Leo rugiet, quis non timebit? Do-
minus Deus locutus est; quis non prophetabit? Post-
quam enim virtus ei sui conditoris innouit; ne-
quaquam illum vires adversarij latere debuerunt:
ut eò magis defensori suo se humilius subderet,
quod hostis sui nequitas subtilius agnovisset: pro-
tectoremque suum tantò ardentius quæreret, quan-
tò terribiliorem hostem cognosceret. Apertè vita-
ret. Certum quippe est, quia minùs diligit erep-
torem suum, qui minùs intelligit periculum quod
evafit: & vile solatium deputat defensoris, qui
virtutem adversarij debilem putat. Unde bene
ereptionem suam Domino tribuens Propheta di-
cebat: *Diligam te Domine virtus mea;* apertè vi-
delicet dicens: Eò te magis diligo, quod infirmi-
tatem propriam sentiens, virtutem meam te esse
cognosco. Hinc rursus ait: *Mirifica misericordias
tuas, qui salvos facis sperantes in te:* quia tunc
nimirum misericordia Domini miræ apud nosmet-
ipsos qui eripimur, sunt, cum per easdem mise-
ricordias quàm gravia fuerint pericula quæ evafim-
us, agnoscentur. Et quia sermone præcedenti
Dominus beato Job mira opera sanctorum se-
quentium parefecit, ut his auditis disceret, de
virtutum suarum culmine quàm humilia sentire
debuisse; nunc ei cum quo hoste bellum gerat,
ostenditur, & vires fraudesque illius subtilius in-
dicantur: ut qui ad colloquium auctoris sui per-
ductus est, argumenta adversarij apertè cognos-
cat. Verbis enim sequentibus fideli famulo Domi-
nus cunctas hostis callidi machinationes insinuat,
omne quod opprimendo rapit, omne quod infi-
diando circumvolat, omne quod minando ter-
ret, omne quod suadendo blanditur, omne quod
desperando frangit, omne quod promittendo de-
cipit. Cuncta ergo tergiversationis ejus certami-
na exorditur, dicens: [*Ecce Behemoth, quem fe-
ci tecum.*]*

000

Quod Manichaeorum haeresis, qui astruunt duo principia, Deum scilicet & nescio quam tenebrarum gentem, conuincatur: cum manifestum sit, quod in principio Deus omnem spiritalem & corporalem creaturam fecerit, primo in substantia materia, deinde in formarum distinctione.

CAPUT IX.

QUEM sub Behemoth nomine, nisi antiquum hostem insinuat? qui interpretatus ex Hebraea voce in Latinalingua animal sonat. Cujus inferius dum malitia subditur, patenter persona monstratur. Sed cum de Deo scriptum sit, quia fecit omnia simul, cur hoc animal cum homine fecisse indicat, dum cuncta quia simul fecerit constat? Rursum quaerendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante distincte creata describat? Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est; sed simul species formata non est: & quod simul exiit per substantiam materiae, non simul apparuit per speciem formae. Cum enim simul factum caelum terraeque describitur, simul spiritalia atque corporalia, simul quidquid de caelo oritur, simul factum quidquid de terra productur, indicatur. Sol quippe, luna & sidera quarto die in caelo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in caeli substantia exiit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, & tertio arbuta condita, & cuncta terrae virentia describuntur: sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa de qua ortum est, terrae substantia conditum fuit. Hinc est quod Moyses distincte per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subjunxit, dicens: *Iste sunt generationes caeli & terra, quando creatae sunt in die, quo fecit Dominus caelum & terram, & omne virgultum agri anequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* Qui enim diversis diebus creatum caelum & terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat: ut liquidum ostenderet quod creatura omnis simul per substantiam exiit, quamvis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam fecit eos.* Necdum enim Eva facta describitur, & jam homo masculus & femina perhibetur. Sed quia ex Adae latere proculdubio femina erat processura, in illo jam computatur per substantiam, a quo fuerat producenda per formam. Considerare tamen haec & in minimis possumus, ut ex minimis majora pensemus. Herba namque cum creatur, necdum in illa fructus, necdum fructus sui semen ostenditur. Inest vero ei etiam cum non apparet fructus & semen; quia nimirum simul sunt in radice substantia, quae non simul prodeunt per temporis incrementa. Sed quia haec simul creata per substantiam dicimus, quae prodire alia ex aliis inuenimus, quo pacto cum beato Job Behemoth creatus asseritur, cum neque una sit substantia angeli & hominis, neque homo ex angelo, neque angelus ex homine proferatur? Si vero propter hoc factus Behemoth cum beato Job dicitur, quod creatura omnis ab auctore, qui in actione sua nequaquam temporis protelatione distenditur, simul condita non dubitatur; cur de Behemoth specialiter dicitur, quod commune cum creaturis omnibus generaliter habetur? Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul angelum factum hominemque cognoscimus: simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione rationis: simul per acceptam imaginem sapientiae, & non simul per

A conjunctam substantiam formae. Scriptum namque de homine est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et per Ezechielem ad satan dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* In cuncta igitur creatura, homo & angelus simul conditus exiit; quia ab omni creatura irrationali distinctus processit. Quia ergo in cuncta conditione rerum nullum rationale animal nisi angelus & homo est, quidquid ratione uti non potest, cum homine factum non est. Dicatur itaque homini, dicatur de angelo, qui etsi potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturae rationalis non amisit: [*Ecce Behemoth, quem feci tecum:*] ut dum homo eum qui in ratione secum factus est, perisse considerat, vicinum sibi casum superbiae ex ipsa propinqua sui perditione pertimescat. In his autem verbis solerter intuemus, quod aperte voce Dominica nefarium Manichaei dogma reprehenditur, qui dum duo principia loquitur, tenebrarum gentem non factam asserere conatur. Quomodo enim non facta gens nequissima dicitur, dum Behemoth istum, videlicet auctorem nequitiae per naturam bene conditum se Dominus fecisse testatur. Sed quia Behemoth iste, cum quo sit factus audimus, perditus quid agat, audiamus. Sequitur.

Quod esse diaboli electa sint, & hypocritarum simulatione maxime fauerentur.

CAPUT X.

Foenum sicut bos comedit. Si Prophetarum sollicitudine verba discamus, haec & illa uno spiritu prolata reperimus. Esaias namque cum cereret vitam peccantium ab antiquo & insatiabili hoste devorari, ait: *Leo sicut bos comedit paleas.* Quid autem foeni palcarumque nomine, nisi carnalium vita signatur? De qua per Prophetam dicitur: *Omnis caro foenum.* Qui ergo hic Behemoth, illic leo: qui hic foenum, illic palea nominantur. Sed perscrutari mens nititur cur iste vel apud Esaiam leo, vel hic Dominica voce Behemoth, in comestione foeni vel paleae, utroque loco non equo, sed bovi comparetur. Quod tamen citius agnoscimus, si in utriusque animalibus quae sit nutrimentorum distantia perpendamus. Equi namque foenum quamlibet sordidum comedunt, aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves autem aquam quamlibet sordidam bibunt, sed foeno non nisi mundo vescuntur. Quid est ergo quoddam bovi, qui mundo pabulo pascitur, Behemoth iste comparatur, nisi hoc quod de isto antiquo hoste per Prophetam alium dicitur: *Esca habitus eius electa?* Neque enim se eos gaudet rapere, quos imis se pravis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntarie jacere. Foenum ergo comedere sicut bos appetit; quia suggestionis suae dente conterere mundam vitam spirituales quaerit. Sed quaerendum video quomodo Behemoth iste foenum sicut bos comedens, vitam spiritualium consumere dicitur, cum sicut supra dictum est, foeni nomine vita carnalium designatur. Esca quoque eius electa jam non erit, si foenum comedens carnalem rapit. Sed ad haec citius occurrit: quia nonnulli hominum & apud Deum foenum sunt, & apud homines sanctitatis nomine censentur: cum & ante humanos oculos aliud ostendit vita, & ante divina iudicia aliud intendit conscientia. Ita quoque apud humana iudicia electi sunt, sed apud subtile Domini examen foenum. An ante divinos oculos Saul foenum non erat, de quo Samuel propheta populo dicebat: *Certe vide ris quem elegit Dominus?* & de quo paulo superius dicitur: *Electus & bonus?* Quem enim peccans populus meruit, & apud Deum reprobus exiit, & tamen causarum ordine electus & bonus fuit.

11. Eccl. 8

Quia multi fecerunt sunt, & electos se ex humana
 estimacione suspicantur, bene per Salomonem di-
 citur: *Vidi impios sepultos, qui etiam dum adve-
 nissent, in loco sancto erant, & laudabantur in ci-
 vitate quasi iustorum operum.* Quia multi fecerunt
 sunt, sed tamen sanctitatis favore vallantur, bene
 quidam sapiens indicat, dicens: *Transi hospes, &
 orna mensam.* Transiendo namque hospes ornate
 mensam dicitur; quia si ad altare Dei quis positus,
 per bona opera gloriam propriam quaerit, & de
 ostentatione sanctitatis ejus, laus altaris extendi-
 tur, & ipse tamen apud Deum in numero civium
 non habetur. Aliis ejus opinio proficit, & tamen à
 Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque tran-
 seundo decoravit; quia stare ad sacra noluit, qui
 per omne quod agere studuit, ad humanas laudes
 mente decurrit. Quia ergo nonnulli mundam qui-
 dem vitam per studium ducunt, sed ex illa intus
 placere non appetunt, rectè & eica ejus electa di-
 citur, & tamen fecerunt sicut bos comedere Behem-
 oth iste perhibetur. Quasi enim ante os Behemoth
 istius mundum fecerunt in terra, atque in infimis
 jacet, cum & vita quasi innocens per mandato-
 rum custodiam agitur, & tamen inter actionem;
 quæ bona ostenditur, cor ad appetenda sublimia
 non elevatur. Quid itaque utilitatis agit qui in se
 munditiam vitæ custodit, si per intentionem infi-
 mam in ore Behemoth hujus inveniendum se in terra
 derelinquit? Quia igitur omnipotens Deus quid
 hostis noster agat insinuat, nunc quomodo præva-
 leat innotescat, ut calliditatis ejus nequicia quod
 apertius cognoscitur, eò facilius superetur. Se-
 quitur.

Quid malorum mentes diabolus in virtute possideat.

CAPUT XI.

Sup. lib. 1. c. 6. Eccl. 10. c. 4. Luc. 12. c. 1. Pet. 1. c. 1. Herb. 7. c. 1. P. 2. c. 1. Gen. 3. c. 6.

Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in
 umbilico ventris ejus. Seminatia coitus viris in
 lumbis esse, inesse autem feminis in umbilico per-
 hibetur. Hinc est enim quod Veritas discipulis di-
 cit: *Sunt lumbi vestri praeconi.* Hinc Petrus cum
 luxuriam à corde restringeret, admonebat, dicens:
Succincti lumbos mentis vestrae. Hinc Paulus cum
 per Abraham sacrificium Melchisedech tempore Levi
 sacerdotium diceret decimatum, ubi tunc in Abra-
 ha corpore Levi lateret ostendens, ait: *Adhuc enim
 in lumbis patris erat.* Quia verò seminarium luxu-
 riae feminis in umbilico continetur, Propheta testa-
 tur, qui sub specie feminae prostituta, Judææ pe-
 tulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est
 praecisus umbilicus tuus.* In die quippe ortus umbi-
 licum praecidere, est conversionis tempore carnis
 luxuriam refecare. Quia enim difficile est malè in-
 choata corrigere, & semel formata deformiter in
 melius reformare; de ortu suo Judæa reprehendi-
 tur, quæ dum in Deo nata est, impræcisum umbi-
 licum retinuit, quia fluxa luxuria non abscedit.
 Quia igitur potestate diaboli, utriusque generis fe-
 xus valde ex luxuria infirmitate subternitur, & for-
 titudo ejus in lumbis contra masculos, & virtus
 illius contra feminas in umbilico perhibetur. Sed
 cur cum Behemoth istum fecerunt comedere intulit,
 prima deceptionis ejus argumenta luxuriae damna
 subjunxit; nisi quod liquidò omnibus patet, quia
 postquam semel hominis spiritum superbia cepit,
 mox se ad corruptionem carnis extendit? Quod in
 ipsis quoque hominibus primis agnosceimus, qui
 dum post perpetratam superbiam pudenda membra
 contegunt, patenter indicantur, quia postquam
 apud semetipsos intus arripere alta conati sunt,
 mox in carne foris erubescenda pertulerunt. Behem-
 oth itaque iste insatiabiliter lævians, & devorare

S. Greg. Tom. I.

A totum simul hominem quaerens, modò in super-
 biam mentem erigit, modò carnem luxuria volup-
 tate corrumpit. Bene autem nequaquam fortitudo
 ejus in lumbis vel umbilico eorum dicitur, qui pro-
 sternuntur: sed [fortitudo ejus in lumbis ejus, &
 virtus illius in umbilico ventris ejus.] Ac si aperit
 diceretur: Fortitudo ejus in lumbis suis, & virtus
 illius in umbilico ventris sui: quia nimirum ejus
 propriè corpus sunt, qui suggestionum turpium
 blandimentis decepti, ei per luxuria fluxa succum-
 bunt. Sequitur.

*Quod tota virtus diaboli in antichristo stringatur, qui
 in fine hujus mundi causa omnis erit malitia, &
 quasi esset Deus immeritate prodigiorum sublimis
 appareret.*

CAPUT XII.

Stringit caudam suam quasi cedrum. Multa in
 his superunt, quæ instruentis moribus profer-
 rantur: sed prius Behemoth istius violenta discuti-
 mus, ut post subtilius astuta detegamus. In Scrip-
 tura sacra cedri nomine aliquando alta excellentia
 gloriae caelestis exprimitur: aliquando autem pravo-
 rum rigida elatio designatur. Cedri nomine caelestis
 gloriae celsitudo exprimitur, sicut Psalmista testatur:
*Insus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multipli-
 cabitur.* Cedri rursus nomine superba pravorum po-
 tentia designatur, sicut per eundem Prophetam
 dicitur: *Vox Domini confringentis cedros.* Quid au-
 tem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis
 extremitas dicitur; cum nimirum vas proprium
 illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter
 antichristus nuncupatur? Qui quoniam modò
 honoribus saeculi, modò signis & prodigijs ficta
 sanctitatis in tumorem potentia elevari permittitur,
 rectè voce Dominica cauda illius cedro compara-
 tur. Sicut enim cedrus arbusta cetera in altum cref-
 cendo deserit, ita tunc antichristus mundi gloriam
 temporaliter obtinens, mensuras hominum & ho-
 noris culmine, & signorum potestate transcendit.
 Spiritus quippe in illo est, qui in sublimibus condit-
 us, potentiam naturæ suæ non perdidit vel de-
 cuit. Cujus idcirco virtus nunc minimè ostenditur,
 quia dispensatione divinae potentia ligatur. Unde
 per Joannem dicitur: *Vidi Angelum descendentem Apo-
 de celo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam
 in manu sua: & apprehendit draconem serpentem an-
 tiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum
 per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit &
 signavit super eum.* Ligatus quippe missus in abyssum
 perhibetur; quia reclusus in pravorum cordibus,
 potentia divinae dispensationis astringitur, ne in-
 quantum nocere valer, effugatur: ut quamvis per
 eos occultè læviat, ad violentas tamen rapinas
 superbia non erumpat. Sed illic quomodo in mundi
 fine sit solvendus intimatur, cum dicitur: *Et post-
 quam consummati fuerint mille anni, solvetur satan
 de carcere suo, & exibit, & seducet gentes.* Mille-
 nario namque numero universum pro perfectione
 sua hoc quantumlibet sit Ecclesiae sanctæ tempus ex-
 primitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus
 traditus, paucò quidem in tempore, sed in multa
 contra nos virtute laxatur. Quem quamvis lævitia
 ad crudelitatem dilaret, superna tamen misericordia
 dierum brevitate coangustat. Hinc enim Veritas per
 semetipsam dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis
 non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Hinc
 rursus ait: *Nisi brevior fuissent dies illi, non fieret
 salva omnis caro.* Quia enim & superbos nos & infir-
 mos Dominus conspicit, dies quos singulariter ma-
 los intulit, misericorditer breviter dicit: profectò
 & ut superbiam terreat de adversitate temporis,
 & infirmitatem refoveat de brevitate dierum.

000 ij

23. Sed considerandum valde est, cū Behemoth iste caudam suam sicut cedrum subleuat, in quo tunc atrocior quā nunc se exerit, surgat. Quæ enim pœnarum genera non novimus, quæ non jam vires Martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improvise ictu immerfus jugulo gladius stravit: alios crucis patibulum affixit; in quo & mors provocata repellitur, & repulsa provocatur. Alios hirsutis serra dentibus attrivit: alios armata ferro infulcans ungula carpsit: alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit: alios ab intimis viscerum per catem pressa vis verberum rupit: alios effossa terra viventes operuit: alios in altum demersos in mortem precipitium fregit: alios in se projectos aqua replendo absorbit: alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Cū igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat, nisi hoc quod in Evangelio Veritas per semetipsam dicit: *Surgent pseudochristi & pseudoprophete, & dabunt signa magna & prodigia; ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi.* Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cū perverfa patiuntur: tunc autem Behemoth hujus satellites etiam cū perverfa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos tortor miracula facit. Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciatur, signis coruscatur. Dicitur igitur rectè: *Stringit caudam suam quasi cedrum;* [quia nimirum & altus tunc erit veneratione prodigii, & durus crudelitate tormenti. Non enim sola tunc potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur. Unde & per David dicitur: *Insiliatur in occulto, quasi leo in cubili suo.* Ad apertam namque potentiam suffecisset ut leo esset, etiam si insidians non fuisset: rursusque ad occultas verfutias suffecisset, ut insidians subriperet, etiam si leo non esset. Sed quia hic antiquus hostis in cunctis suis viribus effrænatur, levire per utraque permittitur: ut contra electos in certamine & fraude & virtute laxetur; virtute per potentiam, fraude per signa. Rectè ergo & leo & insidians dicitur: insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ut enim eos qui apertè iniqui sunt, pertrahat, sæcularem potentiam ostentat: ut verò justos etiam fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis. De hac cauda Behemoth istius sub draconis specie per Joannem dicitur: *Et cauda ejus irabebat terram partem stellarum celi, & misit eas in terram.* Cælum namque est Ecclesia quæ in hac nocte vitæ præsentis dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, quasi radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejecit, quia illa satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cælo in terram cadere, est relicta nonnullis spe cælestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc Daniel sub Antiochi specie contra hanc draconis caudam loquitur, dicens: *Dejecit de fortitudine & de stellis, & concalcavit eas. & usque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo abstulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium, propter peccata; & prosternerit veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.* De fortitudine quippe & de stellis dejicit, cū nonnullis & luce justitiæ resplendentibus, & virtute operis robustos frangit. Qui usque ad principem fortitudinis magnificatur; quia con-

tra ipsum auctorem virtutis extollitur. Juge verò sacrificium tollit; quia studium conversationis Ecclesiæ in eis quos ceperit, interrumpit. Robur verò ei propter peccata contra iuge sacrificium datur: quia nisi pereuntium merita exigerent, eos qui recti credebantur, obtinere adversariis nequam posset. Veritas in terra prosternitur: quia fides tunc rerum cælestium ad desiderium vite temporalis inclinatur. Et faciet, & prosperabitur: quia tunc non solum in reproborum mentibus, sed etiam in electorum corporibus crudelitate inastimabili, sine qualibet objectione grassabitur. Hinc rursus per Danielem dicitur: *Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo ejus, sed non in suis viribus.* Illius namque hominis fortitudo non in suis viribus roboratur, quia satanæ virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursus ait: *Interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu ejus.* Robustos namque interficit, cū eos qui mente invicti sunt, corporaliter vincit. Vel certè robustos & populum sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cū eos qui robusti ac sancti credebantur, ad nutum suæ voluntatis trahit. In cujus manu dolus dirigitur; quia in illo fraus per opus adjuvatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit: nam quidquid mendax lingua simulat, hoc quasi verum esse manus operis ostentat. Hinc rursus dicit: *Contra principem principum consurget, & sine manu coneretur.* Hinc Paulus ait: *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Hinc rursus ait: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Quod enim per Danielem dictum est: *Contra principem principum consurget,* hoc per Paulum dicitur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Et quod per Danielem subjungitur: *Sine manu coneretur,* hoc per Paulum exprimitur: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Sine manu quippe coneretur; quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu aeterna morte ferietur. De hujus Behemoth elatione item per Paulum dicitur: *Qui adversatur & exollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* De quo Daniel cū quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adjunxit: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio cornum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus: & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Undecimum quippe hujus bestie cornu esse describitur; quia regni ejus potentia iniquitate roboratur. Omne enim peccatum undenarium est: quia dum perverfa agit, præcepta decalogi transgredit. Et quia in cilio peccatum plangitur, hinc est, quod in tabernaculo vela cilicina undecim fuerunt. Hinc per undecimum Psalmum dicitur: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Hinc in undenario numero remanere Apostolus Petrus metuens, Matthiam duodecimum sorte missa requisivit. Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, impleri Apostolorum numerum tam festinè duodenario non curaret. Quia ergo per undenarium transgressio exprimitur, hujus bestie cornu undecimo ipse auctor transgressionis indicatur. Quod videlicet parvulum oritur, quia purus homo generatur: sed immaniter crescit, quia usque ad conjunctam sibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt, evellit: quia ditioni suæ regna totidem, quæ sibi vicina sunt, subigit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis, sed os ingentia loquitur; quia in illo humana quidem forma cernitur, sed verbis suis

GREGORII
MORALIUM
TOM. I.

ultra homines elevatur. Quod ergo per Paulum A dicitur: *Extollens se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, hoc Daniel propheta testatur, dicens: *Os loquens ingentia*. Quod verò illum vel Daniel ingentia loqui, vel Paulus perhibet supra cultum Deitatis extolli, hoc est quod apud beatum Job divino eloquio cedro comparatur. More enim cedri ad alta nititur, dum in omni fastu fallaciæ, & virtutis robore & culminis elatione prosperatur. Bene autem stringere caudam dicitur; quia tota ejus virtus in uno illo damnato homine congesta densatur: ut tantò per illum fortia ac mira faciat, quantò illum collectis suis viribus instigat. Sed quia quale sit iniquorum caput audivimus, nunc huic capiti quæ membra adhæreant, agnoscamus. Sequitur.

Quod multiplicia sint argumenta diaboli, quibus animas prorsus sibi polluit & corrumpit.

CAPUT XIII.

Nervi testicularum ejus perplexi sunt. Tot iste Behemoth testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet. An ejus testes non sunt, qui pravis persuasionibus corda hominum, virulenta erroris sui semina fundendo, corrumpunt? Aptè autem dicitur, quòd testicularum ejus nervi perplexi sunt: quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut recta esse simulent, quæ perversa suadent: ut allegationum implicatio quasi nervorum perplexitas esse videri possit, solvi non possit. Nervos ejus testiculi perplexos habent, quia acumina prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque autem quam verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt. Neque enim ad se bonos persuasionem suam traherent, si se & in actionibus perversos exhiberent. Sed quia testes sunt hujus bellæ, & perplexis nervis illigantur, & rectos se ostentant ut lateant, & perversa prædicant ut corrumpant: ipsum nimirum suum caput imitantes, qui quasi leo in insidiis & sevit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis. Sed hæc bellua utinam tunc solum talia ageret, & nunc quoque ad corrumpeuda fidelium viscera hos luxuriæ testiculos non haberet. Neque enim malum sola locutione oris infunditur, sed peius & à pluribus operis exemplo propinatur. Quam multi enim antichristum non viderunt, sed tamen testiculi ejus sunt; quia corda innocentium actionis suæ exemplo corrumpunt. Quisquis namque in superbia extollitur, quisquis avaritiæ desideriis cruciatur, quisquis luxuriæ voluptatibus solvitur, quisquis injuste atque immoderate iræ flagris ignitur, quid aliud quam antichristi testis est? Qui dum se libenter ejus visibus implicat, exemplo suo aliis erroris fetus mihistrat. Ille prava agit, ille prava agentibus adheret, & non solum non obviat, sed etiam favet. Quid ergo aliud quam antichristi testis est, qui perdit auctoritate promissæ Deo fidei, testimonium perhibet errori? Quos tamen si quis redarguat, mox se sub quodam velamine defensionis occultant: quia videlicet eorum nervi perplexi sunt & malè implicati, correptione solvi nequaquam possunt. Sequitur.

Quod ossa diaboli hæsitarum sint & principes malitia, qui fistulis aris comparantur, quia bene quidem & sonore loquuntur, sed qua dicunt, hæc nec agunt, nec sentiunt.

CAPUT XIV.

Ossa ejus velut fistula aris. In corpore ossa sunt quæ continent membra, & quæ continentur. Habet ergo carnes hæc bellua, habet & ossa: quia

& iniqui sunt alii, qui tamen ab aliis in errore retinentur, & nequiores alii, qui in errore & alios retinent. Quid itaque aliud ossa antichristi, quam quoslibet in ejus corpore valentiores accipimus? in quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota ejus corporis compago subsistit. Multi namque in hoc mundo divites videntur, qui dum rebus opibusque subnixi sunt, quasi ex fortitudine solidantur; sed largiendo hæc ipsa quibus facti sunt, ad suum alios errorem trahunt. Modò nonnullos ut pravi fiant, donis illicunt: modò nonnullos, ut pravi permaneant, muneribus adstringunt. Quid itaque hi nisi antichristi ossa sunt, qui dum malos continendo multiplicant, in ejus corpore carnes portant? Hi nonnumquam in decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedinem, quia & spinæ proferunt flores; & apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amarior dulcia, noxiis blanda permiscet, & potestate quidem admirandi videri appetunt, sed fallendi arte per remissa colloquia quasi humiliter subternuntur: & per sermonem de se insinuant, quod per exhibitionem negant. Unde & rectè ossa Behemoth istius, aris fistulis comparantur: quia nimirum more metalli insensibilis, sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt, quod elatè vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar & angelorum, & charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens*. Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum reddit: quia ipse non sentit verba, quæ ipse facit. Sunt verò nonnulli in hujus bellæ corpore non honoribus clari, non divitiis facti, non virtutum specie decorati, non scientiâ calliditatis periti, sed tamen videri quales non sunt ambiunt, & ideo contra bonorum vitam nequiores fiunt, de quibus & sequitur.

Quod quidam cum membra diaboli sint, quia ad seditiones neque per miracula, neque per argumenta sufficiunt, in contumelias & mortes sanctorum ferro armanantur.

CAPUT XV.

Cartilago illius, quasi lamina ferrea. Cartilago namque ossis quidem speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet. Quid est ergo quòd cartilago ejus laminis ferreis comparatur, nisi quòd hi qui in illo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt? Ferro quippe cetera metalla conciduntur, & cartilago ejus ferro similis dicitur: quia hi qui in ejus corpore ad ostensionem virtutum non sufficiunt, contra necem fidelium acrius accenduntur. Quia enim cum eo se facere signa & prodigia non posse considerant, fideles se illi per crudelitatem probant: & pro eo quòd innocentium corda corrumpere persuadendo non possunt, multipliciùs ceteris bonorum corpora se extinguere gloriantur. Bene ergo dicitur: *[Cartilago ejus ut lamina ferrea;]* quia in ejus corpore quò infirmius quisque crediderit, eò nequiùs incidit. Qui rectè non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur: quia dum se circumquaque in crudelitate dilatare ambiunt, quasi in ferri se laminas extendunt.

Quod ea quæ de Behemoth dicuntur, etiam alio intellectu accipi possunt, & ad sanctorum tentamenta referri.

CAPUT XVI.

Libet arctiori inquisitionis manu hæc eadem verba conditoris, quæ jam videntur discussa, quia

distingueret, atque uberores intelligentiæ fructus instituentis moribus apportare. Nam quia antiquus hostis quid per assumptum hominem contra homines agat audivimus: superest ut nunc quid in hominibus etiam per semetipsum sine homine molatur, exploretur. Ecce enim dicitur: [*Stringit caudam suam quasi cedrum.*] Prima quidem serpentis suggestio mollis ac tenera est, & facile virtutis pede conterenda: sed si hæc invalescere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tanta se virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens, usque ad intolerabile robur excreseat. Caudam itaque quasi cedrum stringere dicitur; quia semel ejus in corde recepta tentatio, in cunctis quæ subsequenter intulerit, velut ex jure dominatur. Hujus ergo Behemoth caput herba est, cauda cedrus: quia ex prima quidem suggestione blandiens subternitur, sed per usum vehementer invalescens, succrescente tentationis sine roboratur. Superabile namque est omne quod initio suggerit: sed inde sequitur, quod vinci vix possit. Prius enim quasi consulescens blanda ad animum loquitur: sed cum semel dentem delectationis infixit, violenta post consuetudine pane insolubiliter innodatur. Unde & bene stringere caudam dicitur. Dente enim vulnerat, caudam ligat: quia suggestionem prima percussit, sed percussam mentem ne evadere valeat, invalescente sine tentationis astringit. Quia enim peccatum tribus modis admittitur, cum videlicet serpentis suggestionem, carnis delectationem, spiritus consensione perpetratur: Behemoth iste prius illicita suggerens, linguam exerit, post ad delectationem pertrahens, dentem figit; ad extremum vero per consensionem possidens, caudam stringit. Hinc est enim quod nonnulli peccata longo usu perpetrata in semetipsis ipsi reprehendunt, atque hæc ex judicio fugiunt, sed vitare opere nec decertantes possunt: quia dum Behemoth istius caput non conterunt, plerumque caudam & nolentes ligantur. Quæ contra eos cedri more induruit; quia à blanda voluptate exordii usque ad violentiam retentionis excrevit. Dicatur ergo: [*Stringit caudam suam quasi cedrum.*] ut tanto quisque debeat initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Sciendum quoque est, quod plerumque eis quos cepit, tunc graviore culpas ingerit, cum presentis vite termino illos propinquare cognoscit: & quod se consummaturum tentationem considerat, eo eis iniquitatum pondera graviora coactervat. Behemoth igitur caudam suam quasi cedram stringit, quia quos per prava initia cepit, ad finem deteriores reddit: ut tentamenta ejus quod citius cessatura sunt, eo valentius compleantur. Quia enim suis pennis eorum satagit æquare supplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum. Plerumque vero Behemoth iste jam cor male subditum possidet, sed tamen divina illum gratia repellit: & manus misericordiæ ejicit, quem ad se captiva voluntas introduxit. Cumque à corde expellitur, acriores infigere iniquitatum stimulos conatur, ut eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata sentiat, quos etiam possessa ne sciebat. Quod bene in Evangelio exprimitur, cum exire ab homine inmundus spiritus Domino jubente narratur. Nam cum demoniacus puer fuisset oblatum, scriptum est: *Conmunitus est fesus spiritus immundo, dicens: Surdo & mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introas in eum: & exclamans, & multum discerpens eum exivit ab eo.* Ecce cum non discernerat eum tenebat, exiens discerpit: quia nimirum tunc peius cogitationes mentis dilaniat, cum jam termino egressus sui divina virtute compulsus appropinquat. Et quem mutus possederat, cum clamoribus deserebat: quia plerumque cum possidet, minora tentamenta in-

gat: cum vero de corde pellitur, acriori infestatione perturbat. Bene itaque dicitur: [*Stringit caudam suam quasi cedrum;*] quia & cor possidens semper in malitia ex posterioribus crescit, & cor defrens vehementioribus cogitationum stimulis percutit.

Quod quaedam peccata ita perplexa sunt, ut ea si fugere appetas, tamen sine alio peccati laqueo non evadas.

CAPUT XVII.

AD HUC autem Behemoth istius mira pietate a conditoris astutiora argumenta panduntur, cum subditur: [*Nervi testicularum ejus perplexi sunt.*] Machinationum. Per ipsa quippe calliditatis suæ vires exerit, & fluxa mortalium corda corrumpit. Testiculi ejus sunt suggestiones pravæ, quibus in mentis corruptione servescit, atque in consumptura anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum testicularum nervi perplexi sunt, quia suggestionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur: ut plerisque ita peccare faciant, quatenus si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non evadant: & culpam faciunt dum vitant, ac nequaquam se ab una valeant solvere, nisi in alia consentiant ligari. Quod melius ostendimus si qua ex conversatione hominum illigationis hujus exempla proferamus. Quia vero in tribus ordinibus sancta Ecclesia constat, conjugatorum videlicet, continentium, atque rectorum: unde & Ezechiel tres viros liberatos vidit, videlicet Noë, Ezechiel, Daniel, & Job: & in Evangelio Dominus dum alios in agro, alios in lecto, atque esse in molendino alios perhibet, tres proculdubio in Ecclesia ordines ostendit: liquidò satisfacimus, si singula ex singulis exquiramus. Ecce enim quidam dum mundi hujus amicitias appetit, culibet alteri similem sibi vitam ducenti, quod secreta illius omni silentio contegat se jurjurando constringit: sed is cui juratum est, adulterium perpetrare cognoscitur, ita ut etiam maritum adulteræ occidere conetur. Is autem qui lusuandum præbuit, ad mentem revertitur, & diversis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc sibi formidat, ne silendo, adulteri simul & homicidii particeps fiat: & prodere trepidat, ne reatu se perjurii obstringat. Perplexi ergo testicularum nervi ligatus est; quia in quamlibet partem declinet, necit ne à transgressionis contagio liber non sit. Alius cuncta quæ mandata sunt deserens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno se subdere regimini appetit: sed cum qui sibi apud Deum præesse debeat, minus cauta inquisitione discernit. Cui fortasse is qui sine judicio eligitur, cum præesse jam coeperit, agi quæ Dei sunt prohibet, quæ mundi sunt jubet. Pensans itaque subditus vel quæ sit culpa inobedientia, vel quod contagium secularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat: ne aut obediens, Deum in suis præceptis deserat: aut rursum non obediens, Deum in electo priore contemnat: & aut illicitis obtemperans, hoc quod pro Deo appetit, contra Deum exerceat: aut rursum non obtemperans, cum quem suum judicem quæsierat, suo judicio supponat. Apertè ergo iste per indiscretionis suæ vitium perplexus testicularum nervis astringitur; quia aut obtemperans, aut certè non obtemperans, in culpa transgressionis ligatur. Studebat proprias voluntates frangere, & curat eas etiam contempto priore solidare. Decrevit mundum funditus relinquere, & ad mundi curas vel ex aliena voluntate compellitur redire. Perplexi itaque nervi sunt, cum sic nos argumenta hostis illigant, ut culpæ nodi quod quærentur solvi, durius adstrin-

Idem in fra lib. 34. c. 3. Hier. in Job. 41.

12.

Mat. 9.

gant. Alius pensare pondus honoris Ecclesiastici negligens, ad locum regiminis præmiis ascendit. Sed quia omne quod hic eminet, plus meritoribus afficitur, quam honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur: doletque se ad laborem cum culpa pervenisse, & quam sit iniquum quod admisit, ex ipsa fructus difficultate agnoscit. Reum igitur se cum impensis præmiis agnoscens, vult adeptæ sublimitatis locum deserere. sed timet ne gravius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse: vult suscepti gregis curam gerere, sed formidat ne deterior culpa sit regimina pastoralis gratiæ empta possidere. Per honoris ergo ambitum ligarum culpa hinc inde se conspicit. Esse quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex relinquatur, aut rursus sacra actio seculariter empta teneatur. Undique metuit, & suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine non dignè luceat, quod non etiam deserens emendat: aut certè regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitute committat. Quia ergo Behemoth iste ita inexplicabilibus nodis ligat, ut plerumque mens in dubium adducta, unde se à culpa solvere nititur, inde in culpa arctius astringatur, rectè dicitur: [*Neris testicularum ejus perplexi sunt.*] Argumenta namque machinationum ejus quasi quò laxantur ut relinquunt, eò magis implicentur ut teneant. Est tamen quod ad destruendas ejus veritatis utiliter fiat, ut dum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Et Paulus dum quosdam in Ecclesia inconitantes aspiceret, concessit minima, ut majora declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat.* Et quia tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscantur: ut hoc etiam quod concesserat, sine culpa quamvis minima non esse monstraret, illico adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Non enim est sine vitio quod ignoscitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit, quod posse indulgere prævidit. Sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Itaque plerumque nervotum Behemoth istius perplexitas solvitur, dum ad virtutes maximas per eò nimis minora transitur. Sequitur: [*Ossa ejus sicut fistula aris.*] Quid per ossa Behemoth istius, nisi consilia designantur? Nam sicut in ossibus postio corporis roburque subsistit, ita in fraudulentis consiliis tota se ejus malitia erigit. Neque enim vi quempiam premit, sed calliditate pestiferæ persuasionis interficit. Et rursus, sicut ossa quæ irrigant medulla confortant, ita ejus consilia per spiritualis naturæ potentiam infusa ingenii subtilitas roborat. Hoc verò testiculi ejus ab ossibus, id est, suggestiones à consiliis distant: quòd per illas aperte noxia inserit, per hæc autem quasi ex bono consulens ad culpam trahit: per illas pugnando superat, per hæc velut consulendo supplantat. Unde & bene ejus ossa, id est, hæc eadem consilia, aris fistulis comparantur. Aris quippe fistulæ sonoris aptari cantibus solent, quæ admotæ auribus dum blandum carmen subtiliter concinunt, interiora mentis in exteriora delectationis trahunt: & dum dulce est quod auribus sonant, virilitatem cordis in voluptatis fluxu debilitant. Cumque auditus ad delectationem trahitur, sensus ab statu suæ fortitudinis enervatur. Ita quoque abata ejus consilia dum quasi blanda provisio- ne consulant, cor à forti intentione invertunt: &

A dum dulcia resonant, ad noxia inclinant. Quasi ergo aris fistulæ sunt, quæ dum libenter audiuntur, ab interna intentione animum in exterioris vite delectationem dejiciunt. Hoc enim Behemoth iste magnopere ad exequendam deceptionem satagit, ut dum perveritatis suæ consilium quasi utile ostendit, suaviter valeat sonare quod dicit; quatenus & ostensa utilitate mentem mulecat, & absconsa iniquitate corrumpat. Quæ apertius in cunctis ostendimus, si pauca breviter consiliorum ejus argumenta pandamus. Ecce enim quidam rebus contentus propriis, decrevit nullis mundi hujus occupationibus implicari, valde formidans quietis suæ commoda perdere, & valde despiciens cum peccati lucra cumulare. Ad hunc hostis callidus veniens, ut intentionem bonæ devotionis subtrahat, quasi utilitatis consilium subministrat, dicens: Ea quidem quæ habes, in præsentia sufficiunt, sed his deficientibus quid acturus es? Si enim post hæc nulla providentur, adfunt quæ ad præsens impendenda sunt filiis, sed tamen paranda sunt quæ servantur. Deserte potest citius etiam quod adest, si sollicitudo provida cesset parare quod deest. An non & terrena potest actio peragi, & tamen in actione culpa declinari: quatenus & exteriora stipendia præbeat, & tamen internam rectitudinem non inflectat? Hæc interim blandiens insinuat, & seorsum jam in negotio terreno quòd providet, peccati laqueos occultat. Ossa itaque ejus sicut fistulæ aris sunt: quia perniciofa ejus consilia auditori suo consulenti vocis suavitate blandiuntur. Alius quoque non solum decrevit terrena commoda non querere, sed etiam cunctis quæ possidet, renunciare: ut in discipulatu celestis magisterii tantò se liberior exerceret, quantò & expeditior redditus, ea quæ possidentem non premeret poterant, deserens calcet. Hujus cor hostis insidians occulta suggestionem alloquitur, dicens: Unde hæc temeritatis tanta surrexit audacia, ut credere audeas quòd omnia relinquendo subsistas? Aliter te creator condidit, atque aliter tu te ipsum disponis: valentiora te robustioraque faceret, si sequi te sua vestigia cum inopia necessitate voluisset. An non plerique & terrena patrimonialia nequaquam deserunt, & tamen ex his per misericordiam opera supernæ sortis bona æterna mercantur? Hæc blandiens suggerit: seorsum verò in eisdem rebus quas retinere admonet, ante retinentis oculos delectationes pestiferas decipiens apponit, quatenus seductum cor ad blandimenta exteriora pertrahat, & intima perfectionis vota pervertat. Ossa itaque ejus sicut fistulæ aris sunt; quia dolosa ejus consilia dum blandum ex exterioribus sonum reddunt, perniciosum dispendium de interioribus ingerunt. Alius relictis omnibus quæ exterioribus possederat, ut ordinem sublimioris discipulatus apprehendat, etiam intimas frangere voluntates parat: ut rectoribus se alterius voluntatibus subdens, non solum pravus desideris, sed ad perfectionis cumulum etiam in bonis votis sibimetipsis renunciet, & cuncta quæ sibi agenda sunt, ex alieno arbitrio observet. Hunc hostis callidus tantò molliùs alloquitur, quantò ab ^{ad.} excellen- ^{ad.} tiori loco dejicere ardentius conatur, moxque ^{excellentiori} virulenta suggestionem blandiens dicit: O quanta per temetipsum miranda agere poteris, si nequaquam te judicio alterius subdis! Cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? Cur intentionis tuæ bonum, dum ultra quàm necesse est, extendere niteris, frangis? Quæ enim dum voluntate propria usus es, perversa perpetrasti? Qui ergo tibi plene ad bene vivendum sufficis, alienum super te judicium cur requiris? Hæc blandiens intimat, seorsum verò in voluntatibus ejus propriis exercenda superbiæ causas parat: & dum laudat cor de interna rectitudine, investigat callidè ubi subtrahat in pravitate. Ossa itaque ejus sicut fistulæ aris sunt;

30.

1. Cor. 7

Ibid.

20

ad. excellentiori

quia clandestina ejus consilia unde quasi animum blandè delectant, inde perniciosè à recta intentione dissipant. Alius fractis plenè voluntatibus suis, multa jam vetusti hominis vitia & mutatione vitæ, & lamentatione penitentia * correat: & tantò majori zelo contra aliena peccata accenditur, quantò sibimetipsi funditus mortuus, iniquitatibus propriis non tenetur. Hunc hostis callidus, quia zelo justitiæ etiam ceteris prodesse cognoscit, quasi prospera consulentibus verbis impetit, dicens: Quid te ad aliena curanda dilatas? Utinam tua considerare convalescas. An non perpendis, quia cum ad aliena extenderis, erga ea curanda quæ tua sunt, minor inveniris? Et quid prodest alieni vulneris cruorem tergere, & putredinem proprii negligendo dilatare? Hæc dum quasi consulens dicit, zelum charitatis adimit, & omne bonum quod prodire ex charitate poterat, gladio subintroducti torporis extinguit. Si enim proximos sicut nosmetipsos diligere præcipimur, dignum est ut sic eorum zelo contra vitia, sicut & nostro flagremus. Quia igitur dum suaviter consulit, mentem ab intentione propria alienam reddit, rectè dicitur: [*Ossa ejus sicut fistula aris.*] Quando enim per fraudulenta consilia audientis animo blandum sonat, quasi cum fistula aris cantat, ut undè mulcet, inde decipiat.

22. Sed Behemoth iste valde mollius certamen movet, quando se in insidiis sub prætextu infirmitatis exercet. Tunc autem duriores tentationes excitat, quando ante tentari oculos iniquitatis laqueos sub specie virtutis occultat. Unde & rectè subjungitur: [*Cartilago ejus quasi lamina ferrea.*] Quid enim per cartilaginem, nisi simulatio ejus accipitur? Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et sunt nonnulla vitia, quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitatis prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tanta se arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat: ut inde quisque quasi expectet præmia, unde dignus est æterna invenire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitii crudelitas agitur, & justitia putatur; atque immoderata ira, justii zeli meritum creditur: & cum à distortis moribus peccantes dirigi cautè debeant, violenta inflexione franguntur. Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas habetur: & dum plus quàm decet, delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservantur. Nonnumquam effusio misericordia creditur: & dum malè servare culpa sit, peius spargi quod acceptum est, non timetur. Nonnumquam tenacia parcitas putatur, & cum grave sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere. Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur, & dum mens à pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Sæpe inconstantia quasi tractabilitas habetur, & quò quisque fidem integram nulli servat, ed amicum se hominibus æstimat. Aliquando timor incompetens humilitas creditur, & cum temporali formidine pressus quisque ad defensionem veritatis tacet, arbitratur quò juxta Dei ordinem humilem se potioribus exhibeat.

E Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur: & cum per elationem veritati contradicatur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur. Plerumque pigritia quasi continentia quietis attenditur, & cum gravis culpa sit recta studiosè non agere, magnæ virtutis meritum creditur à prava tantum actione cessare. Plerumque inquietudo spiritus, vigilans sollicitudo nominatur: & cum quietem quisque non tolerat, agendo quæ appetit, virtutis debitè implere se exercitium putat. Sæpe ad ea quæ agenda sunt, incauta præcipitatio, laudandi studii fervor creditur: & cum desideratum bonum intempestiva actione corrumpitur, ed agi meliùs,

A quò celerius, æstimatur. Sæpe accelerandi boni tarditas consilium putatur: & cum expectatur ut ex retractione proficiat, hoc insidians mora supplantat. Igitur cum culpa velut virtus aspicitur, necessariò pensandum est, quia tantò tardiùs mens vitium suum deserit, quantò hoc quod perpetrat, non erubescit: & tantò mens tardiùs vitium deserit, quantò per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. Facile autem culpa corrigitur, quæ & erubescit; quia esse culpa sentitur. Quia itaque error cum virtus creditur, difficiliùs emendatur, rectè dicitur: [*Cartilago ejus quasi lamina ferrea.*] Behemoth enim iste quò sub prætextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, ed in culpa mentem duriùs tenet.

B Hinc est quò nonnumquam hi, qui viam sanctitatis appetunt, in errorem lapsi tardiùs emendantur. Rectum quippe æstimant esse quod agunt, & sicut excolendæ virtuti, sic vitio perseverantiam jungunt. Rectum existimant quod agunt, & idcirco suo judicio enixius ferviunt. Unde bene Hieronimus cum diceret: *Candidiores Nazaraei ejus nive, Thymidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: demigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: illico adjunxit: Adhæsit cuius eorum ossibus, arum, & facta est quasi lignum.* Quid enim Nazaraeorum nomine, nisi abstinentium & continentium vita signatur: quæ nive & lacte nitidior dicitur. Nix enim ex aqua congelascit, quæ desuper venit: lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid ergo per nivem, nisi candor vitæ celestis: quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui caelestem vitam tenuerunt, multi qui terrena bene dispensaverunt, superari videantur, & candidiores nive, & nitidiores lacte referuntur. Qui etiam, quia per fervorem spiritus, antiquorum ac fortium patrum nonnumquam vincere vitam videntur, rectè subjungitur: *Rubicundiores ebore antiquo.* Dum enim ruboris nomen imprimitur, sancti desiderii flamma signatur. Ebur verò esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt; quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut totum simul ostendatur, adjungitur: *Sapphiro pulchriores.* Ætherei quippe coloris est sapphirus. Et quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes per caelestem conversationem videntur vincere; narrantur sapphiro pulchriores existisse. Sed plerumque dum virtutum copia etiam plus quàm expedit, prosperatur, in quamdam sui fiduciam mens adducitur, & decepta presumptione propria, repente peccato subripiente fuscatur; unde rectè subjungitur: *Demigrata est super carbones facies eorum.* Nigri enim post candorem fiunt; quia amisâ Dei justitiâ, cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt, peccata dilabuntur: & quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione præferuntur. Nonnumquam enim dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus rectè subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis.* Platea quippe sermonis Græci ratione pro latitudine dicitur. Quid verò est humanæ menti angustius, quàm voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam.* Quid autem latius, quàm nullis propriis voluntatibus reluctari, & quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum judicio se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis: quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo

Matth.
19. c. 27
22. d

22.

23.

22.

Matth. 4.

frangendo voluntates proprias in angusto se calle A retinebant. Et bene additur: Adhesit enim eorum ossibus. Quid in osse, nisi duritia fortitudinis; quid in cute, nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adherere ossibus dicitur; quia ab eis prava sententibus infirmitas vitii, duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quae faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspitionibus jungunt, & quod de se magna sentiunt, eod de sua nequitia emendari contemnunt. Unde & recte adjungitur: Aruit & facta est quasi lignum. Culpa quippe eorum tantò insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur. Quam rectè aridam asserit; quia nulla sui cogitatione viridescit. Quod ergo apud Hieremiam per infirmitatem cutis, hoc apud beatum Job per fragilitatem dicitur cartilago: & quod illic ossa per duritiam, hoc hinc laminae ferreae dicuntur. Sed Behemoth iste, qui per membra sua extremo tempore contra electos Dei tanta se arte iniquitatis exercet, qui etiam per semetipsum ad decipiendas mentes in tanta insidiarum tergiversatione se exhibet, cuius nature, & cuius sit conditionis audiamus. Neque enim tam mira vel * magna operari posset, si non ex magna conditione subsisteret. Unde & mox mira pietate Dominus, ac si causas tanta astutiae tantaeque fortitudinis redderet, adjunxit, dicens.

Quod prima creatura Dei sit Angelus: & quando subtilior est illa spiritualis creatura, tanto in illa similitudo Dei plenius est expressa.

CAPUT XVIII.

Ipsa est principium viarum Dei. Velut si apertè diceret: Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam conditor primum fecit. Quid enim vias Dei, nisi ejus actiones accipimus? De quibus per Prophetam dicit: Non enim sunt via mea sicut via vestra. Et principium viarum Dei Behemoth dicitur: quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Hujus primatus eminentiam conspiciit Propheta, cum dicit: Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei: abietes non aequaverunt summitatem ejus: platani non fuerunt aequifrondebis illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi & pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus. Qui namque accipi in cedris, abietibus, & platanis possunt, nisi illa virtutum caelestium proceræ celsitudinis agmina, in aeternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur; quia prælatum ceteris legionibus, tanta illum species pulchriorem reddit, quanta & supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est; quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursus per eundem Prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Multa enim de ejus magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non cum ad similitudinem S. Greg. Tom. I.

Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit: ut quò subtilior est in natura, eò in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est quòd primatus ejus potentiam adhuc insinuans idem Propheta, subjungit: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius & topazius, & jaspis, chrysolitus, onyx, & berillus, sapphirus, carbunculus & smaragdus. Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines Angelorum. Nam cum per ipsa sacra eloquia Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, & Seraphim, aperta narratione memorantur: quante sint superiorum civium distinctiones ostenditur. Quibus tamen Behemoth iste operatus fuisse describitur; quia eos quasi vestem ad ornatum suum habuit, quorum dum claritatem transenderet, eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit: Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Aurum opus decoris ejus extitit; quia sapientia claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina verò idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, & nequaquam à se distideant, quos interfulum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt; quia videlicet capax charitatis est conditus. Quia si repleti voluisset, stantibus angelis tamquam positus in Regis ornamento lapidibus potuisset inherere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento, ut diximus, regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem ceteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati, penetrante se invicem charitate ligati sunt: atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus principatus celsitudinem adhuc idem Propheta intuens, adjungit: Tu Cherub extensus & protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti. Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur; & idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientiæ non dubitatur. Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit; quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloriæ conditionis extitit. Quem bene extensum ac protegentem dicit. Omne enim quòd extenti protegitur, obtusum. Et quia comparatione claritatis suæ, ceterorum claritatem obtusum creditur, ipse extensus & protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic Cherub, quod illic protegens dicitur: hoc hinc voce Dominica Behemoth iste viarum Dei principium vocatur. De quo idcirco tam mira in quibus fuit, & quæ amisit, insinuat; ut terrore homini ostendat, quid ipse si superbiat, de elationis suæ culpa passurus sit; si feriendo illi parere noluit, quem creando in gloriam tantæ claritatis elevavit. Consideret ergo homo quid clarus in terra mereatur, si & prælatus angelis, angelus in celo prosternitur. Unde & bene per Prophetam dicitur: Inebriatus est in celo gladius meus. Ac si aperte diceret: Qua ira feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam, quos in celo juxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci. Tot itaque hostis antiqui virtutibus auditis, tanta P p p

24. * al. in maligna operatione posset,

Esai. 51. c. De par. nit. dist. 2. c. principium. Exe. 31. c.

Exe. 28. c.

Gen. 2. d.

O

ibid.

26.

Esai. 34. 2

conditionis ejus magnitudine cognita, quis non immanē formidine corruat, quis non desperationis percussione succumbat? Sed quia elationem nostram ostensa hostis nostri potentia reprimat, etiam infirmitatem nostram Dominus patefacta gratiæ suæ dispensatione fovet. Unde cum eum principium viarum suarum diceret, illico adjunxit.

Quod diaboli malitia dispensatione divina cohibetur, ne quantum vult mentes hominum ferire permittatur.

CAPUT XIX.

Qui fecit eum, applicavit gladium ejus.] Gladius quippe Behemoth istius ipsa nocendi malitia est. Sed ab eo à quo bonus per naturam factus est, ejus gladius applicatur; quia ejus malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire tantum mentes hominum quantum appetit, permittatur. Quia ergo hostis noster & multum potest, & minus percutit, ejus gladium pietas conditoris astringit: ut replicatus intra ejus conscientiam lateat, & ultra quam desuper justè disponitur, sese in mortes hominum ejus malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter prævalet, hoc de principio magnæ conditionis potest: quod verò à quibusdam vincitur, ejus nimirum gladius ab auctore replicatur.

Job. 1. Ille namque Behemoth, qui principium viarum Dei est, cum contra sanctum virum licentiam tentationis accepit, gentes movit, greges abstulit, ignem de celo deposuit, perturbato aëre ventos excitavit, domum concutiens subruit, convivantes filios extinxit, uxoris mentem in dolo prave suasionis exercuit, mariti carnem inflictiis vulneribus confodit: sed ejus gladius à conditore replicatur, cum dicitur: *Animam illius serva.* Qui replicato gladio quantæ sit infirmitatis, Evangelista testante describitur: quia nec manere in oblesso homine potuit, nec rursus invadere bruta animalia nisi jussus præsumpsit, dicens: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Malitiæ quippe ejus gladius quam sit replicatus ostenditur, cui si potestas summa licentiam non præberet, nec grassari in porcorum gregem va-

Aleret Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimium constat quod non justus contingere nec porcos præsumat? Notandum quoque est, quod dum viarum Dei principium Behemoth dicitur, vesanum dogma Arii aperta ratione dissipatur. Facturam quippe Dei Filium fatetur, & ecce Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo ut Arius aut factum Filium putet, aut eum post Behemoth conditum stultus putet. Quia verò omne quod applicatur, in semetipsum reducitur, rectè applicatus Behemoth gladius dicitur. In semetipsum namque se ejus malitia decoquit, cum ad votum suum sese contra electorum vitam prohibita non exercet. Multos autem exigentibus meritis ferire permittitur, ut cum Deum deserunt, damnato hosti famulentur. Ab electis verò eò valentius vincitur, quod soli auctori omnium humiliter substernuntur. Quia igitur per hoc quod viarum Dei principium dicitur, per hoc quod permittente Domino valde intolerabilis demonstratur; apertè cognoscimus, cum quanto hoste pugnemus. Superest igitur ut unusquisque nostrum tantò se plenius auctori subiciat, quanto contra se verius violentas adversarii vires pensat. Quid namque nos nisi pulvis sumus? Quid verò ille, nisi unus ex celestibus spiritibus, & quod adhuc majus est, summus? Quid ergo de propria virtute audeat, quando contra angelorum principem pulvis pugnat? Sed quia supernorum spirituum conditor terrenum corpus assumpsit, rectè jam superbientem angelum humilis pulvis vincit. Inherendo quippe veræ fortitudini vires accipit, quas transfuga spiritus, cum semetipsum sequitur, amittit. Et dignum est ut vincatur à pulvere, qui fortem se credit desertore creatore; ut superatus inveniat, quia defecit elatus. Valde autem anhelat sapiens, quod cum ipsum imbecillitate subiecta caro permanet, à qua tantus ipse spiritus sine fine projectus jacet. Sed loca mentium mutavit ordo meritorum. Sic sic superbia meruit dejici, sic humilitas exaltari: quatenus & celestis spiritus erigendo se, tartarum toleret, & terra humilis sine termino super calos regnet.

SANCTI GREGORII
MORALIS EXPOSITIONIS
IN BEATVM IOB,
LIBER TRIGESIMVS TERTIVS.

Quod in superbiorum lubricis mentibus passus sit demonum.

CAPUT PRIMUM.

ANTIQUO hosti, qui sub Behemoth nomine Dominica voce describitur, superbi quique tantò familiaris ferunt, quanto hujus vitæ successibus apud semetipsos altius intumescunt. His namque cum gloria augetur elatio, cum elatione verò additur cura: huc illucque animus tendit quia & desideria cum rebus crescunt. Cumque cogitationes innumeras quasi agri sænum pro-

Dferunt, eisdem cogitationibus velut desiderato pabulo Behemoth istius famem pascunt. Unde nunc rectè dicitur: *[Huic montes herbas ferunt.]* In Scriptura sacra quum numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus, aliquando sancta Ecclesia, aliquando testamentum Dei, aliquando apostata angelus, aliquando quilibet hæreticus designatur. Quum verò montes plurali numero nominantur, aliquando celsitudo Apostolorum atque Prophetarum, aliquando verò secularium potestatum tumor exprimitur. Mons namque Dominum designat, sicut scriptum est: *Et Esai. 2. n. erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons quippe est in ver-